



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. An Pœnitentia sit necessaria de potentia absoluta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

tionalem voluntatis, revocando priorem voluntatem, & deestando statum peccati, ac desiderando statum iustitiæ.

917. DICO 2. Non est necessarius necessitate medij actus elicitus à Pœnitentia ut est virtus specialis, explicata supra. Est contra Tannerum. Probat. Nam actus Charitatis iustificat: atqui ad hoc ut iustificet, non est necesse, ut imperetur à Virtute Pœnitentiæ, alioquin vis iustificandi potius actui imperanti quàm actui imperato tribuenda esset: ergo actus Pœnitentiæ specialis non est necessarius necessitate medij.

918. DICO 3. Non est necessaria necessitate medij Pœnitentia formalis, sed sufficit Pœnitentia virtualis, in casu quo virtualis dari potest sine formali. Est contra Melchiorem Canum, qui asseruit, posse actum perfectæ dilectionis existere in homine peccatore, quando deest formalis retractatio. Probat. Potest enim homo non recordari suorum peccatorum, adeoque tunc non potest elicere formalem retractationem, potest tamen tunc cognoscere bonitatem Dei, & ab ea moveri ad amandum Deum; quo amore homo ille iustificabitur: ergo vera est conclusio. Major est certa. Minor probatur. Nam actui charitatis promittitur reciprocus Dei amor & iustificatio. Proverb. 8. *Univerſa delicta operit Charitas, Ego diligentes me diligo &c.*

CONTROVERSIA II.

An Pœnitentia sit necessaria de potentia absoluta.

919. DICO, non esse sic necessariam, sed posse hominem iustificari absque omni prævia pœnitentia. Est contra utrumque Sorum, Lorcam & Becanum & Amicum de *Iustific. d. 32. sect. 22. n. 50.*

Pro fundamento Conclusionis supponendum est, ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessarium actum perfectæ dilectionis, hic enim tantum est necessarius, juxta præfens Dei decretum, disjunctivè, vel ipse, vel Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc posito

Probat. Conclusio. Ad remissionem peccati, siue ea fiat per infusionem Gratiæ, siue per meram condonationem extrinsecam, de potentia absoluta non requiritur talis prævia dispositio, quæ sit ex natura sua connexa cum remissione peccati: ergo nulla requiritur. Antecedens concedunt adversarij. Consequentia probatur. Dispositio quæ connaturaliter ad formam requiritur, eam tamen non trahit indispensabiliter post se, potest à Deo suppleri tanquam à supremo Domino omnium creaturarum, ut communiter omnes concedunt in alijs formis: ergo nisi ostendatur specialis repugnantia in remissione peccati, potest homo, utpote etiam post peccatum capax remissionis ejusdem, & reconciliationis cum Deo, transire à denominatione inimici ad denominationem

non inimici, sine vlla prævia dispositione: qui dispositio quam adversarij vnicè requirunt, esset retractatio peccati commissi: ergo per solutam potentiam potest homini remitti peccatum sine tali retractatione.

Dices, hæc vera esse loquendo de dispositione physica, non verò de dispositione morali, quæ sit motivum alliciens ad præstandam misericordiam, à qua exhibenda semper aliquo modo tardat peccatum præteritum necdum condonatum, quatenus hominem reddit indignum eius misericordiâ & beneficio. Sed contra. Quæ absque omni motivo creato, sufficit Deus intrinseca infinita bonitas in ratione morali ad sublevandam quamcunque miseriam. Deum vis resistendi quæ inest peccato (nolito condonari modo, nam, ut in 1. lib. dictum, nullius creaturæ existentia habet verè rationem moralem, quod Dei decretum, cum simplicitate Deum non vini nullam admittat virtutem distindionem nec præsupponat visionem vilius creature, & finita & limitata, Bonitas autem Dei & infinita inclinatio ad miserendum, est infinita, potens superare omnem resistantiam finemque, fertur cum peccatum semper sit aptum condonari ad majus bonum inde elicendum, videlicet, ut Deo permitti possit, sicut ergo ejus resistens, non movet ne permittatur fieri, vincitur ab illius boni quæ ex ejus permissione elici possunt, ita ejus resistens ne condonetur vinci potest ab illius bonis, quæ ex gratuita condonatione elici possunt.

920. Obijciunt 1. & principaliter. Tanti diu manet peccatum habituale (de hoc enim est præfens questio) quamdiu manet peccatum præteritum habitualiter voluntarium: atqui tantum manet habitualiter voluntarium peccatum præteritum, quamdiu non retractatur: ergo tantum manet peccatum habituale seu peccatum præteritum in ratione peccati habitualis, quamdiu non retractatur: ergo ad peccati destructionem essentialiter requiritur retractatio: ergo sine hac per nullam potentiam fieri potest.

Hujus argumenti infirmitas ostenditur eo quod nimium probet. Probat enim, quod retractatio esset pars formæ iustificantis: quæ formaliter opponitur peccato; si vera est eorum argumentatio, quod etiam observavit Lugo & Elparza q. 11. de *Iustific. in fine vlt. probat.* Propter. 2. Quod quæcumque retractatio esset sufficiens ad destruendum peccatum habituale, independentem ab omni infusione Gratiæ, vel condonatione extrinseca, vel Sacramento. Nam contra retractatio tollit rationem voluntarij habitus peccati præteriti. hæc autem ratio voluntarij habitus peccati præteriti, per te est ipsa essentia peccati habitualis, saltè in adequatè essentia peccati præteriti, atqui quando aufertur etiam in adequatè essentia rei, est simpliciter sublata essentia: ergo potest qualicunque retractatione, esse destructum peccatum habituale.

Ad objectionem respondet P. Esparza, posse supernaturaliter fieri, ut cesset atque revocetur habitualiter prior ratio Voluntarij, Deo infundente habitum impossibilem cum repetitione ac ratione actus prateriti, & perfecte dispositivum animi ad actum contrarium, quoties occurreret occasio deliberationis & electionis similis, perinde ferè acsi elicitus esset actus contrarius priori; ac proinde supernaturaliter fieri potest, ut non perseveret absolute prior voluntarietas habitualis, ad cuius videlicet conceptum adequatum pertinet non solum actus prateritus, ut prateritus, sed etiam ut nihil addit de presenti actualiter vel habitualiter illi contrarium, & impossibile ratione suæ perfectionis ac bonitatis cum repetitione & approbatione actus mali qui praterijt. Porro jam prius dixerat, illum habitum quem Deus infunderet, & qui per suam inclinationem tollet rationem Voluntarij, aliud non esse quam gratiam sanctificantem.

921. Hæc responsio mihi non probatur. Primò, quia hic Auctor supponit sententiam à nobis rejectam in secundo libro, peccatum mortale non posse remitti per condonationem extrinsecam. Secundò sic argumentor. Gratia sanctificans non inclinatur habitualiter tali modo in obiectum contrarium peccato praterito, sicut peccatum illud inclinatur ad similem actum, actus enim nostri causant habitus ita facilitantes, ut hæc facilitas cadat sub experientiam, presentia autem Gratiæ non cadit sub experientiam: unde etiam, postquam Deus infudisset peccatori Gratiam sine retractatione, adhuc maneret ille homo experimentaliter eodem modo inclinatus ad malum, adeoque adhuc maneret illi peccatum prateritum habitualiter voluntarium, si hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quam inclinatio relicta ab actu. Et hoc videtur ipse auctor advertisse dum dixit, quod ferè eodem modo inclinet gratia in contrarium, sicut inclinaret actus retractativus peccati. Sed quæso, quid est: ferè sic inclinare? ego dico, esse simpliciter non inclinare, sicut ferè tangere, est simpliciter non tangere, sed aberrare.

Aliter ergo respondendum est, negando majorem. Pro cuius falsitatis evidentia distinguendum est inter hæc duo: Peccatum prateritum perseverare habitualiter: & peccatum prateritum perseverare habitualiter voluntarium: quæ quidem sunt phrasæ theologice verborum tenus valde similes, sed quoad significationem diversissimæ. Peccatum prateritum habitualiter perseverare, aliud non est, quam perseverare in aliquo fundante iustum Dei odium propter peccatum prateritum, quod quidem, saltem partialiter, est vel negatio condonationis divinæ, vel negatio Gratiæ, pro diversitate Sententiarum, de quâ questione dictum est lib. 2. Peccatum autem perseverare habitualiter voluntarium, aliud non est, quam quod hoc ipso quod non sit retractatum, deur probabile fundamentum, quod si ille homo denuò

deberet in simili occasione peccandi operari, iterum operaretur, sicut prius, quia verisimile est, quod ultimò placuit, iterum placitum fuisse, si daretur eadem occasio, & eadem circumstantia: adeoque hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quam negatio retractationis. Neque arguit de presenti vilius actum peccaminosum absolute existentem, sed tantum sub conditione, si redirent eadem circumstantia: imò hunc ipsum actum futurum non arguit nisi probabiliter.

Dicimus ergo, quod sicut peccatum prateritum in ordine ad odium Dei potest perseverare in ratione peccati habitualis, quin sit amplius habitualiter voluntarium, quia non omnis retractatio tollit peccatum habituale, ut apud omnes certum est, & de fide quidem, ita econtra possit per absolutam potentiam manere habitualis voluntarietas peccati, & tamen tolli reatus culpæ per divinam condonationem, adeoque desinere peccatum habituale, quin desinat peccatum prateritum in ratione voluntarij habitualiter.

Declarat rem totam exemplo aptissimo Cardin. de Lugo. Qui fecit votum, contrahit obligationem voti, & in hac obligatione perseverat votum habitualiter: præterea etiam tamdiu perseverat habitualiter voluntarium, quamdiu non retractatur. Porro hæc secunda perseverantia desinere, si hominem voti pœniteret, nec tamen propterea desinere prior perseverantia, alioquin esset in hominis potestate liberare se ab obligatione voti. Sic dicimus posse desinere peccatum in ratione peccati constituentis hominem reum odij. Jam econtrario potest etiam desinere perseverantia voti quoad obligationem, quin desinat perseverantia in ratione Voluntarij. Posset enim Pontifex dispensare in illo voto, incio vovente, & sic non amplius obligaretur: & tamen potest illi homini votum non displicere, sed adhuc ita compæratus esse, ut in iisdem circumstantijs iterum voveret. Eodem modo dicimus posse per condonationem desinere reatum culpæ, quin desinat esse habitualiter voluntarium.

922. Obijciunt 2. Conversio ad aliquid non potest tolli nisi per aversionem: atqui creatura per peccatum se convertit ad creaturas: ergo non potest tolli peccatum nisi per aversionem à creatura: sed non potest averti nisi per retractationem: ergo, &c. 2. hoc argumento probatur, non posse tolli peccatum, nisi per contritionem perfectam. per peccatum enim homo se convertit ad creaturam, & ad seipsum, constituendo se pro fine C.VI. ergo hæc conversio non potest tolli nisi per aversionem à creatura, & à se, ut fine C.VI. sed per solam perfectam contritionem hoc modo se averteret à creatura, constituendo Deum pro fine C.VI. Ergo, &c. 2. ergo: Sicut per Sacramentum Pœnitentiæ suppletur defectus perfectæ aversionis à creatura in ratione finis C.VI, & ideo dicitur homo per Sacramentum fieri ex attrito æquivalenter contritus, ita per condonationem

tionem Dei sine vlla retractatione fieri potest homo ex non contrito æquivalenter contritus.

Objicitur 3. Quamdiu homo est maculatus, tamdiu adhuc habet peccatum: sed quamdiu non retractat, tamdiu est maculatus: ergo quamdiu non retractat, tamdiu habet peccatum. Minor probatur. Quamdiu homo est habitualiter aversus à regula conscientia, nempe à recta ratione, & à lege naturæ, tamdiu est maculatus: sed quamdiu non retractat peccatum, manet habitualiter aversus à regula conscientia: ergo tamdiu est maculatus. R. negando minorem. ad probationem nego maiorem. Nam *id esse habitualiter aversum*, à regula rationis, aliud non est, vt diximus, quàm probabilitas, quòd si redirent eadem circumstantia, iterum averteretur: adeoque est tantum peccatum sub conditione probabiliter futurum: peccatum autem sub conditione futurum non est macula de presenti, vt constat.

Objicit P. Amicus 4. Tridentinum *Seß. 6. c. 7.* dicit, Justificationem adulti fieri per voluntariam susceptionem Gratiæ: ergo susceptio Gratiæ non voluntaria, erit insufficiens ad justificationem. Confirmatur. Quia peccatum etiam habituale intelligitur tale per dependentiam & respectum quendam dependentia liberæ & voluntaria ejusdem peccati à voluntate peccatoris: hujusmodi autem respectus dependentia voluntaria peccati à voluntate peccatoris, non potest tolli per vllam formam, nisi sit voluntaria ipsi peccatori, vt retractet & debeat dependentiam peccati à voluntate tanquam forma contraria similiter voluntaria. R. Concilium loqui de justificatione prout defecto sit, quatenus in illa Deus attendit etiam mensuram dispositionis praviæ, cui tamen mensuræ nemo facile dixerit Deum esse indispensabiliter alligatum. Ad Confirmationem patet responsio ex paulò antè dictis, nempe, confundi, *id Habitualemente*, & *Habitualiter voluntarium*. & quomodo nimium probet, patet ex responsione ad primam objectionem.

Objicitur 5. Si Deus potest sine vlla retractatione condonare peccatum habituale, poterit etiam condonare peccatum actuale pro tempore quo actu fit: consequens est absurdum, quia sic homo esset simul peccator & justus, quia condonatio est forma constituens hominem justum saltem negativè, hoc est, non injustum, peccatum actuale est forma constituens injustum.

Card. de Lugo d. 7. s. 8. n. 126. respondet, sibi verisimilem esse sequelam. Vnde infert 1. quòd dum ponitur peccatum, Deus quidem odio haberet peccatum, non tamen ipsum peccantem, quia jam cessisset jure suo. Infert 2. quòd tunc Petrus per tale peccatum amitteret nihilominus gratiam, ideo, quia, juxta hunc auctorem, gratia nec divinitus est conjungibilis cum peccato. Non esset tamen inimicus Dei, licet esset peccator, adeoque esset simul peccator, & negativè justus, hoc est, non odibilis proximè, quia peccatum esset condonatum.

Hæc doctrina semper mihi summe diffusa est visa, tum quoad ipsam substantiam, tum quoad doctrinæ consequentiam, quam videret hic auctor deferere, quod adverti alibi, nunc vero idem advertisse video Card. Pallavicinum de Permitt. cul. & patebit paulò post.

Quod attinet ad Objectionem præsentem, responsio est facilis, negatur enim sequela de peccatis: Disparitas insinuat in ipsa objectione. Peccatum actuale præsens, est forma adæquate rebus hominem injustum: ergo mirum non est, quod non possit stare cum forma adæquate, scilicet negativè justum, hoc est, non injustum, alioquin simul esset forma & negatio. At vero peccatum habituale includit vltra peccatum præsentem etiam negationem condonationis de præsentem: hæc negatio est pars formæ denominantis habitualiter injustum: atqui per condonationem tollitur formaliter negatio condonationis: ergo tollitur pars constitutiva peccati habitualis, & forma denominantis injustum: ergo desinit homo de injustus, & fit negativè justus: ergo in hoc casu non conjunguntur formæ oppositæ, licet in tali priorè. Sed nunc de veritate consequentis videamus.

CONTROVERSIA III.

Utrum Deus possit remittere peccatum pro tempore quo committitur.

923. Post Lugonem affirmavit Ripaldà *et. de ente supernaturali disp. vlt. s. 3. n. 4.* quos nuper secutus est R. Hilpanus. Negativum defendit Suarez *lib. 7. de Gratia. c. 2. n. 1. l. Amicus hic d. 32. n. 49.* Dicastillo *tr. 8. disp. 1. d. 1. c. 7. à n. 311.* Pallav. Cum quibus & ego sentio.

Probo Conclusionem 1. Si posset peccatum condonari pro instanti quo committitur, posset Gratia Sanctificans conjungi cum peccato mortali in illo instanti quo committitur. consequens non admittit Lugo, neque nos, Ergo &c. Deprecatur ex principiis ipsius Lugonis. Vnde causa, quare Gratia Sanctificans non possit conjungi cum peccato habituali (& multò minus cum actuale) secundum Lugo est hæc, quia Gratia, vt habet Tridentinum, est unica & adæquata forma justificans. atqui si posset conjungi cum peccato habituali, non esset forma adæquata justificans, nam tunc quando conjungeretur cum peccato habituali, talis homo adhuc esset inimicus Dei, & invisus Deo, quia peccatum habituale constituitur per negationem condonationis, quoad autem peccatum non est condonatum, homo est inimicus Dei & odio dignus, adeoque non est justus. ergo non habet formam adæquatè justificantem: ergo Gratia non esset forma adæquata justificans, sed complenda esset per condonationem contradistinctam à collatione Gratiæ, si collatio Gratiæ est separabilis à condonatione, & conjungibilis cum negatione condonationis. Ita Lugo.